



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

11. Verò, Licitô, Sanctóque Matrimonio Mariae Virgini obstrictus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

ELOGIUM XI.

IOSEPH

Verò, licitò, sanctóque matrimonio MARIÆ Virginī obstrictus.

Non parum interest IOSEPHI, eius cum Virgine MARIA matrimonium omni ex parte perfectum agnoscere. Si enim Gregorius Nazianzenus, Gorgoniæ Sororis suæ maritum laudaturus, exclamare est ausus in Orat. II. *Vultis vñō verbō virgām describam? Vir fuit illius; nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit;* ad summam laudum maximarum faciet IOSEPHI, eum probare Virum MARIÆ fuisse. At hoc quis potest, nisi simul, ab iniuria omni, matrimonium eius vindicet?

Ain' ergo tu, verum non esse & vrde obsecro, id habes? An quia matrimonij essentia sine copulâ stare non potest? At ego tibi ostendo, stare posse. Nam 1. matrimonium, nonnisi in mutua corporum traditione & potestate, consistit. At potest traditio & potestas, sicut aliarum rerum, ita & corporum separari ab usu; sæpèque de facto separantur, ut videre est in aliquibus Societatis nostræ Religiosis, qui etsi dominium retineant, v.g. hæreditatis paternæ, usu tamen carent, impediti yoto paupertatis. 2. Parentes primi in paradiso verum matrimonium contraxerunt. At hoc ibi non consummârunt per copulam. Est ergo etiam matrimonium

C 4

ratum

ratum verum. 3. Florentinum Concilium quoque in decreto Eugenij ait, matrimonium perfici mutuo consensu. Et Trident. Sess. 24. disertè matrimonium ratum à consummato distinguit. Nihil ergo obstat, quominus, etsi matrimonium JOSEPHI nonnisi ratum sit, verum tamen & validum sit.

Sed iam licitum esse, negabis forsitan. Quid ita autem? an quia de re non sua, de suis inquam corporibus Deo, per votum perpetuæ Virginitatis, traditis contraxere? an quia, contra naturam matrimonij, corporum traditionem & potestatem, non ordinârunt ad id, cuius præcipue causa fit; nempe ad copulam, sed potius excepere contra illam, similes ijs, qui tibi panem donarent, cum conditione ne quis eo aliquando vescatur? an denique nimia sanguinis propinquitate impediti propter legem aliquam Mosis vetabantur contrahere?

At ostendo, nihil istorum iure dici posse. Nam 1. licet utique contrahere de re non sua, si Dominus consentiat. At consensit hic Deus, vt antè ostensum est. 2. Votum non importat obligacionem Iustitiae, sed solum Religionis. Possunt ergo hæ duæ obligationes à se muto separari; potest inquam aliquis obligari ex Iustitia, quin obligetur ex Religione; & vicissim. 3. Dupliciter ordinatur matrimonium ad copulam. 1. Ut ad obiectum. 2. Ut ad effectum. At est posterior ordinatio mere accidentalis; prior verò sola essentialis, quam etiam Virginei coniuges habuerunt, quorum matrimonialis

nialis consensus directè ferebatur in traditionem & potestatem corporum, indirectè autem in copulam ijs per modum objecti connexam. Ita Dicastill. Disp. 2. à num. 20. 4. Instantia panis prorsus inepta est; quia ideo tantum accipitur, ut nutrimentum habeamus. 5. Neque Lex vlla Mosis vetans adduci contra consanguinitatem potest.

Sic ergo, qui se adhuc matrimonio isti oppone velit, ad solam eius sanctitatem oppugnandam se ut conuertat, necesse est. At hoc qui tandem vel in speciem præstabit? Quid enim sanctius esse potest, quam vi Virginei matrimonij tutari famam Matris Dei; eamque cum IESV Dei filio custodire, alere, vestire, ac gubernare? Sola obstarre bigamia sanctitati huic tantæ videtur posse. Verum illam quoque ipsam non multò post indidem aufaram, aptiore loco.

ELOGIVM XII.

I O S E P H

Dignus MARIAE dexteram contingere, annulō ornare, ac eam pallio obnubere.

JOSEPHVM cum MARIA Matrimonium contraxisse, Majorum more & ritu, dubitari non potest. Est enim, id etiam jam inde à Lege Naturæ, Sacramentum, non illud quidem propriè tale, quod gratiam, quam vsu suo confert, significat, sed impropriè, quatenus est signum rei sacræ institutum à

C 5

Deo.